

Scriptoribus ecclesiasticis, observ. 2 in opera S. Thomæ. Et quamvis S. Thomæ foret, equidem inde nihil sequeretur: quia non dicit Salomonem esse salvum, sed tantum ait quod Hebræi tradant ipsum esse salvum. Jam vero traditiones hebraicæ, quamvis multa vera contineant, tamen etiam plurimas complectuntur nugas ac fabulas. Et quidem quod circa penitentiam Salomonis nugas et fabulas complectantur, satis demonstrant illa, quæ habet Abulensis Q. 15 in cap. VII lib. II Regum, ubi ex S. Ambrosio refert sequentia: *Hebræi aiunt Salomonem venisse in templum, quod ipse edificaverat, cum quinque virgis, quarum quatuor tradidit peritis legis, ut verberaretur ab illis pro penitentia; qui communi consilio defuerunt non esse mittendam manum in Christum Domini, quia David dixerat: Nolite tangere Christos meos. A se ipso autem depositus est, et retinuit solam tribum Ephraim, et bipartitum fecit imperium.*

Quod Salomon se ipsum deposuerit a regno, etc., nedum fabulosum, sed apertissime falsum est, cum ex Scriptura tum hic cap. seq., tum lib. II Paralip. cap. X clarissime constet de contrario. Merito proinde traditiones hebraicæ circa hanc materiam rejiciuntur, tanquam nugatoria et fabulosa.

Si denique opponatur auctoritas patrum § 1 citatorum, qui aperte videntur asserere, Salomonem penitentiam egisse, eis opponi potest auctoritas patrum § 2 citatorum, qui non minus aperte asserunt ipsum peccatis suis immortuum esse: nam dum SS. patres in aliqua quæstione inter se non conveniunt, impossibile est omnibus adherere.

Cap. XII narratur quomodo Roboam, qui Salomoni in regno succedebat, duriora responsa dederit populo qui eisdem exacerbat, quoad decem tribus se ab illo separat, regemque creat Jeroboam; qui vitulos aureos erigit, et populum ad idololatriam declinare facit. Circa hæc quidem hic inquiri posset, an decem tribus licite excusserint jugum Roboam, et regem sibi constituerint Jeroboam? Sed nos hanc quæstionem potius omittendam, quam multis discutendam arbitramur.

CAPUT XIII.

Mittitur a Deo propheta, qui Jeroboamo incensum idolo offerenti prædicit, super altare illud sacrilegum sacerdotum excelsorum immolandos. At contra præceptum Domini apud Bethelitas cibum sumens, mox a leone occiditur.

QUÆSTIO UNICA. — QUALIS PROPHETA FUERIT VIR DEI, QUI HIC REDARGUIT JEROBOAMUM.

Verſ. 1: *Et ecce vir Dei: Id est, propheta missus a Deo (ad nascentem Jeroboami idololatriam redarguendam) venit de Juda in sermone Domini: Id est, instinctu Domini, ut exponunt Tirinus et A Lapide; sive habens sibi commissum sermonem impio regi denuntiandum, ut dicit Dionys. Carthusianus.*

ſ. 2: *Et exclamavit contra altare... Ecce filius*

nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet. Cum in regno Juda a Roboam usque ad Josiam, qui hic prædicitur sacerdotes illos immolaturus, intercesserint tredecim reges, recte observat Abulensis sensum prophetiæ non esse, quod aliqui de sacerdotibus, qui tunc erant, quando vir Dei locutus ista, mactandi essent a Josia super illud altare: sed sensus est, quod Josias esset occisurus sacerdotes excelsorum, qui ejus tempore offerrent incensum; aliorum autem ossa exhumeret et concremaret in detestationem idolorum. Quod ergo dicitur: *Qui nunc in te thura succendunt*, id hoc sensu intelligitur, quod Josias ejusdem generis sacrificulos, non illos ipsos, qui tempore hujus vaticinii vivebant, sed iis impietate pares esset occisurus. Impleta autem est hæc prophetia per Josiam lib. IV Reg. cap. XXIII, 16. Porro de præfato viro Dei hic quæri potest, an ipse fuerit propheta diversus a tribus istis famosissimis prophetis, scilicet Semeia, Abia Silonite et Addone. Ad quod quæsitum

R. affirmative. Et ratio est, quod vir ille Dei primo anno regni Jeroboami venerit ad ipsum, dum eodem anno jam fabricaverat vitulos, ut ne semel quidem statutis temporibus Israelitæ ascenderent in Jerusalem. Et quidem prima die, qua consecratum est altare in Bethel, ad Jeroboamum missus est; atque statim post visionem suam, et prophetiam contra Jeroboam (quia contra mandatum Dei panem in Bethel manducaverat) a leone occisus est, ut patet ex ſ. 24. Jam vero Semeias ad minimum vixit usque ad annum 18 regni Jeroboam; ergo non fuit idem cum illo viro Dei.

Subsumptum hoc patet ex Scriptura II Paralip. XII, 15, ubi dicitur: *Opera vero Roboam prima et novissima, scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, et Addo Videntis.* Porro, ut patet ibidem ſ. 15, *Roboam... decem et septem annis regnavit in Jerusalem.* Ergo Semeias ad minimum, ut novissima Roboami opera describeret, pertigisse debuit ad annum 18 regni Jeroboam: nam hic eodem anno cæpit regnare super decem tribus, quo super Judam et Benjamin regnavit Roboam. Deinde cum Addo non tantum opera Roboami, sed etiam Abiæ filii ejus gesta descripsisse referatur II Paralip. XIII, 22: multo minus Addo potuit esse idem ille, de quo hoc cap. agitur; quippe qui initio regni Roboam occisus sit.

Denique quod etiam Abias Silonites non fuerit ille vir Dei, inde patet, quod post mortem istius viri Dei, infra cap. XIV, Jeroboam miserit uxorem suam ad Abiam Silonitem, ut eum consuleret super filii sui infirmitate.

Obj. I. Tempore Roboam, et Jeroboam in Scriptura tantum fit mentio trium prophetarum, scilicet Abiæ, Semeiæ, et Addonis; ergo vir ille Dei fuit unus e tribus istis prophetis.

R. Disting. ant. Tantum fit mentio istorum præ-

phetarum, expressis nominibus; concedo: sub generali nomine prophetæ; nego antecedens.

Patet hoc ex ſ. 11, ubi dicitur: *Propheta quidam senex habitabat in Bethel; ad quem ſ. 20 factus est sermo Domini, quique ipsi inobedienti viro Dei dixit ſ. 22: Non inferet cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum: quod revera contigisse patet ex ſ. 29 et 30.*

Deinde ſ. 32, propheta ille senex confirmat sermonem Domini virtutum, quem prædixerat vir ille Dei contra altare quod erat in Bethel; ergo saltem plures, quam tres, sub generali nomine extiterunt prophetæ tempore Roboami, et Jeroboami.

Inst. Prophetes ille senex, teste Emmanuele Sa, fuit falsus propheta. Unde et paraphrastes chaldæus dicit, quod fuerit *propheta mendax.* Addunt alii, hac sola causa prophetam hunc desiderasse istius viri Dei præsentiam in mensa sua, ut is factus inobediens a Deo puniretur, in ejus punitione ipsius auctoritatem deprimeret, Jeroboamque dubitantem, et de destruendis vitulis cogitantem, in impia sua sententia seu idololatria confirmaret; ergo ex isto pseudo-propheta non probatur plures tunc fuisse prophetas.

R. Neg. conseq. Quia dici potuit *propheta falsus, mendax, etc.* cum revera dicens ſ. 18 *Angelus locutus est mihi, etc.* mentitus sit; vel perniciose (si per punitionem viri Dei intenderit confirmare Jeroboami impietatem), vel saltem officiose, si hoc fecerit ad sibi procurandum meritum hospitalitatis, ut voluit Theodoretus, Procopius, et alii. Ex quo tantum sequitur, quod dono prophetiæ fuerit abusus, licet revera prophetaverit ſ. 22 et 32.

Obj. II. Addo prophetavit contra Jeroboam, ut liquet ex II Paralip., IX, 29, ubi dicitur, quod reliqua operum Salomonis scripta sint in visione Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat. Ergo Addo fuit ille vir Dei, qui hic prophetaverit contra Jeroboam.

R. Neg. conseq. Quia loco citato 2 Paralip. non dicitur Addo prophetasse contra Jeroboam in Bethel. Atqui tamen hoc dicitur hic ſ. 1 de viro Dei; ergo licet Addo contra Jeroboam prophetasse dicatur; non sequitur quod fuerit idem cum illo viro Dei, qui contra eum prophetavit in Bethel.

P. an vir Dei graviter, an vero tantum leviter peccaverit dum ſ. 18 et 19 permisit se a propheta sene decipi, et in ejus domo contra præceptum Dei panem manducavit.

R. eum verisimilius tantum leviter peccasse: nam male egit quidem, quia nimis facile et temere credidit alteri prophetæ mentienti; debuisset enim magis spiritum ejus, et oraculum suum, verbis ipsius contrarium, examinare ac cogitare, quod si Deus, qui expresse ei mandaverat nec comedere in Bethel, vellet præceptum suum revocatum, id sibi immediate revelaturus fuisset. A peccato tamen gravi excusari potest, quia prophetam senem credidit esse veracem. Unde S. P. Aug. lib. de Cura pro mortuis cap. 7 ita scribit: *Voluit Dominus servum suum ita plectere, quia non sua contumacia spreverat præceptum*

ejus implere, sed aliena decipiente fallacia, obedire se credidit, quando non obedivit: neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiarum, ut ad supplicium tartareum ejus anima raperetur; quandoquidem ipsum ejus corpus idem leo, qui occiderat, custodiret: jumento etiam, quo vehebatur, illæso, et simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante. Quo miraculi signo apparet hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem, quam punitum esse post mortem.

Similia etiam habet S. Gregor. lib. IV Dialog. cap. 24. Ex quibus communiter deducunt auctores, hunc virum Dei venialiter tantum peccasse; et ob hoc peccatum veniale a Deo, qui est summus vitæ et necis omnium Dominus, temporali morte punitum. Unde et ipse errore suo cognito, prædictam sibi et a Deo immissam mortem patienter excepit.

Cap. XIV. Uxor Jeroboam, mutato habitu, consulit Ahiam prophetam de filii sui ægroti sanitate, qui mortem illius prædicit, totiusque familiæ Jeroboami interitum. Sesac rex Ægypti invadit Roboam, et diripit domum Domini in Jerusalem. De hac autem invasione agemus lib. II Paralip.

CAP. XV, XVI.

Abia regnat super Judam. Minatur Deus excidium Baasæ regi Israel. Seipsum cum palatio regio succendit impius Zambri.

QUÆDAM RESOLVUNTUR. — Cap. XV, 1: *Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat regnavit (id est incepit regnare) Abiam super Judam, succedens in throno Roboami patris sui.*

ſ. 2: *Tribus annis regnavit; non omnino integris, sed incompletis.* Patet hoc: quia ſ. 9 dicitur quod Abiæ successerit Asa anno vigesimo regni Jeroboam; ergo non tribus annis completis, sed duobus regnavit: nam ab anno decimo octavo usque ad vigesimum sunt tantum duo anni. Ut ergo tres anni inveniantur, numerari debet annus decimus octavus, et ille fuit primus annus regni Abiæ, secundus fuit decimus nonus, et tertius fuit vigesimus regni Jeroboam. Sic exponunt Abulensis, Cajetanus, et alii. Scripturis enim familiare est synecdochice partem pro toto computare. Sic Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulcro, quia fuit per partem diei primæ et tertiæ, die autem secunda integra. Dicit etiam posset, quod Abia incepit regnare anno decimo octavo regni Jeroboam incipiente, et vigesimo ad finem vergente mortuus sit: et in hoc supposito fere tribus annis integris regnavit.

ſ. 3: *Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui (Roboami) quæ fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus: id est, proavi ejus, more enim Scripturæ etiam progenitores mediati patres dicuntur.*

ſ. 4: *Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam (id est filium successorem) in Jerusalem. Hoc Deus fecit, non mere propter promissionem Davidi factam, sicut exponunt calvinistæ; sed propter*

promissionem factam occasione meritorum, seu propter merita Davidis. Unde subjungit Scriptura

ŷ. 5 : *Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi* : id est, excepto facinore, quod commisit adversus Uriam Hethæum, uxore ejus per adulterium abutendo, et ipsum interficiendo. Sed cum in aliis etiam peccaverit David, ut in juramento funditus delendi totam familiam Nabal Carmeli I Reg., XXV, in sententia injuste lata contra Miphiboseth II Reg., XVI, in vana et superba enumeratione populi II Reg., XXIV : quomodo ergo excepto sermone Uriæ Hethæi dicitur non declinasse a præceptis Domini?

Communis interpretum explicatio est, alia peccata, quæ a Davide patrata sunt, ejus esse ordinis ac gradus, ut cum peccato cædis Uriæ Hethæi comparata, quodammodo minima et vix æstimanda videantur. Ita Abulensis Q. 3, Hugo cardinalis, Lyranus et alii. Itaque Scriptura hic nominat solum peccatum contra Uriam commissum, quia per hoc gravissime peccaverat; ita ut id nullam mereretur excusationem, nec ullo virtutis velamine contegi posset; scilicet quia post patratum adulterium deliberata prorsus voluntate occidi curavit innocentem : alia vero ejus peccata aliquam excusationem admittunt, ut antea suo loco dictum fuit.

Videtur etiam posse dici, quod specialiter de ejus adulterio et homicidio fiat mentio, quia juxta legem Levit. XX, et Deuter., XXII adulter debet occidi; similiter et homicida juxta legem Exod. XXI et Levit. XXIV debet morte plecti : eadem poena etiam puniri debet idololatria, ut habetur Exod. XXII. Duo ergo priora crimina, quæ morte plecti debebant, fecerat David; sed posterius, quod est longe gravissimum, utpote directe contra Deum, non perpetrarat.

Impio Abiæ succedit pientissimus filius Asa, qui idololatriam aliaque nefanda crimina aufert : sed de his aliisque ejus gestis agemus in lib. II Paralip.

Cap. XVI dicitur factus sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa regem Israel, et ŷ. 5 Jehu ex mandato Dei ait : *Ecce ego demetam posteriora Baasa*. Vox hebraica *Achare* tam posterus, quam posteriora significat. Unde Pagninus ex hebræo transtulit : *Ego removeo posteros, Arias : Ego succidens posteros Baasa*. Sensus ergo est : *Ego posteritatem ejus penitus delebo*.

ŷ. 7 : *Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa... ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani prophetam*. Menochius sic exponit : *Occidit rex Baasa prophetam Jehu, quem ob prophetiam occisum martyrem pronuntiat A Lapidè*.

Nota, ubi in textu latino habetur : *Ob hanc causam occidit eum*, in hebræo haberi : *Et super (seu propter) hoc percussit eum*. Similiter etiam habent LXX et chaldæus. Omnes autem isti omittunt hæc verba : *Hoc est, Jehu filium Hanani prophetam*. Hinc Lyranus

secutus R. P. Bukentop censet ista verba non esse de textu; sed vel irrepsisse ex indocto marginali scholio, vel ad summum esse explicationem interpretis, putantis illud eum, ubi dicitur : *Occidit eum*, intelligi de Jehu propheta.

Motivum ipsius est, ista verba : *Hoc est, Jehu*, etc., non haberi in hebræo, chaldæo, et græco, ut dictum est; deesse pariter a multis libris Vulgatæ. Insuper non esse consuetudinem Scripturæ, quod ita loquatur : *Hoc est, etc.*, sed ubicumque similis terminus in Vulgata occurrit, ad summum est quoddam prævium additamentum interpretis explicantis aliquid præcedens, v. g., Gen., XXXV, 18 : *Id est filius doloris*. Exod., XII, 11 : *Id est, Transitus*. Deuter., XXIII, 2 : *Hoc est, de scorto natus*.

Huic adde, quod Jehu filius Hanani propheta diu vixerit post mortem Baasæ filiique ejus Elæ : nam II Paralip. XIX, 2 legitur occurrisse regi Josaphat, qui tantum incepit regnare anno quarto Achab. Nec alius quisquam propheta Jehu filius Hanani admittendus videtur, quam iste, qui hoc cap. prophetavit contra Baasa, et postea adhuc superstes occurrit regi Josaphat. Ita discurre R. P. Bukentop.

Itaque juxta hunc auctorem in istis verbis : *Ob hanc causam occidit eum, et eum non intelligitur de propheta Jehu*, sed de rege Baasa; et *et occidit intelligitur de Deo* : ita ut sensus sit, quod Deus Baasam ob peccata ejus occiderit, eum peste aut præmatura morte extinguendo.

ŷ. 18 : *Zambri... mortuus est (ŷ. 19) in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, et ambulans in via Jeroboam*. Cum non videatur Zambri septem dierum spatio, quibus regnavit in Thersa (ut dicitur ŷ. 15), speciem pietatis, aut impietatis potuisse exhibere, putat Menochius de ante acta vita hic haberi sermonem; cujus finis fuit suicidio infamis, et desperatione plenus.

CAP. XVII, XVIII, XIX.

Elias propheta, cælum triennio claudens, inducit super Israel siccitatem et sterilitatem : pascitur a corvis, deinde a muliere Sareptana. Increscente fame, Elias adit regem Achab, eumque severe corripit : cum 450 pseudo-prophetis Baal solus certat, eosque, miraculo ignis e cælo in victimam evocati superatos, jugulat; et pluvias terræ reddit. Deinde fugiens furorem impiæ Jezabelis, in deserto pastus ab angelo, pergit in montem Horeb, ubi Deus ei apparet in sibilo auræ tenuis.

ENARRANTUR AC RESOLVUNTUR NONNULLA DE ACTIS ET GESTIS ELIÆ.

Ut impii regis Achab, æque ac conjugis ejus scelestæ Jezabelis, ardorem in propaganda idololatria reprimere et compescere Deus, suscitavit Eliam, zelo et spiritu fortitudinis admirabilem. Itaque

Cap. XVII, 1 : *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad*. Quamvis Adrichomius Thesbam colloceat in tribu Gad; inde non sequitur quod Elias non fue-

rit de tribu levitica, sed ex tribu Gad : siquidem, ut adhuc alicubi dictum est, illi qui erant de tribu levitica spargebantur per omnes tribus, ut eas in fide et cultu Dei erudirent. Eliam ex familia Aaron seu e genere sacerdotali ortum, voluit S. Epiphanius lib. de Vita et Interitu sanctorum, Isidorus lib. de Vita et Morte sanctorum, Joannes episcopus hierosolymitanus tom. 9 bibliothecæ patrum, Simeon Metaphrastes apud Surium, et Dorotheus in Synopsi.

Dixit autem Elias ad regem Achab : *Vivit Dominus Deus Israel* : Formula jurandi est, et idem denotans, ac juro per Deum viventem : *In cujus conspectu sto* (id est, cui servio; unde chaldæus habet : *Ante quem ministro*), si erit annis his ros et pluvia, etc. In hujusmodi locutionibus, et maxime apud Hebræos, quando jurant, particula *si* accipitur pro *non*. Hinc S. Jacobus Apost. in Epistola sua, cap. V, 17, ait : *Elias... oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex*.

Eliam virginitatem coluisse perpetuam communis est veterum patrum constansque sententia, inquit Sanctius. Ita censent S. Hieron. lib. I cont. Jovinianum, et ad Eustochium de custodia virginitatis; S. Ambros. lib. I de Virginitate; S. Ephrem lib. I, parænesi 1, cœlestè donum vocat castitatem, ad quam exemplo Eliæ alios adhortatur, dicens : *Domum monachi optimum est virginitas, curru ipsum ad cælum cum Elia vehens*. Addit A Lapidè, virgines quoque, vel cœlibes fuisse Eliæ discipulos, idque esse indubitatum : quin et ex ipsis plures pro vera Dei religione a Jezabele occisos, martyrii lauream adeptos esse.

Postquam autem Elias Achabo prædixisset, quod nulla futura esset pluvia, nisi juxta oris sui verba, id est, nisi ipse verbis et precibus illam adduxisset; inde ex mandato Dei recessit, et absconditus fuit in torrente Carith, ubi, ŷ. 6 : *Corvi deferebant ei panem et carnes mane... et vesperi, et bibeat de torrente*. Quod hæc ex regis Achab culina ad Eliam fuerint delata, existimat Abulensis. Nec propterea necesse est dicere corvos intrasse regis culinam, quia dici potest, quod cibi isti imperceptibiliter afferentur ab angelis ad locum aliquem in deserto, ex quo corvi eos ulterius deferebant ad Eliam. Cæterum, sive isti cibi ex culina Achab, sive aliunde allati fuerint, mirifica hic fuit Dei providentia erga servum suum Eliam, qui corvos, cæteroquin rapaces et crudeles, cura angelorum ad id ministerium impulit, a voracitate compescuit et ad conditum locum conduxit.

Post tempus aliquod exsiccato torrente Carith, dixit Deus ad Eliam ŷ. 9 : *Surge et vade in Sarepta Sidoniorum... præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te*. Verbum præcepi videtur hic idem significare, ac providi et ordinavi, ut ŷ. 4, ubi dicit Deus se præcepisse corvis, ut eum pascere. Quamvis enim mulier capax esset præcepti proprie dicti, nullum tamen præceptum tale a Deo accepisse videtur : idque deducit Estius ex eo, quod Scriptura de illa referat ŷ. 12, quod se morituram putaret una cum filio, consumpta

modica farina, quam habebat. Hoc certo non putasset, si, ut nonnulli admittunt, Deus ipsi revelasset adventum Eliæ, ac jussisset, ut eum exciperet et pasceret, eo quod ipse esset provisorius utriusque.

Cap. XVIII, 1 : *In anno tertio, scilicet siccitatis et famis in Israel grassantis, ex mandato Dei reversus est Elias, et ostendit se Achabo, quem sua idololatria Israel turbasse, libere edicit, eumque severe redarguit*. Deinde postquam in monte Carmelo sacrificasset, et prope torrentem Cison pseudo-prophetas interfecisset,

ŷ. 41 : *Ait... ad Achab : Ascende, comede et bibe, quia sonus multæ pluvie est*. Regem ire ad prandium jussit, ait Josephus lib. VIII Antiq. cap. 7; nec esse amplius sollicitum, brevi enim se visurum pluviam. Ac si diceret Elias : *Jam placata est ira divini Numinis, sumpta ultione de impiis idololatriis; quocirca nunc mihi Deus revelavit pluviam mox venturam; imo jam sonitum venti, qui ingentem pluviam præire solet, audire videor*.

ŷ. 42 : *Elias autem ascendit in verticem Carmeli, ibique Deum, pro obtinenda pluvia, oraturus, pronus in terram posuit faciem inter genua sua*, ŷ. 43 : *Et dixit ad puerum suum : Ascende, et prospice contra mare, scilicet Mediterraneum, quod ad occidentem terræ promissæ situm est, et ex monte Carmelo, illi valde vicino, videri poterat. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait : Non est quidquam. Et rursus ait illi : Revertere septem vicibus*. Non est sensus, quod semel imperaverit Elias ut famulus septies rediret; sed septem distinctis vicibus dixit : *Revertere*. Unde Menochius ait, non insinuari quod puero dictum sit, ut iret rediretque septies, quasi deambulando; sed quod propheta septies dixerit famulo, ut iret ad contemplandum mare, ac totidem vicibus ille redierit ad Dominum suum, nuntians ei se nullum pluvie vestigium agnoscere.

Notant hic Abulensis alique interpretes quod Deus, qui ŷ. 37 et 38 ad orationem Eliæ ignem miserat ad devorandum holocaustum, non illico ad preces pluviam dederit; quia prior oratio fiebat coram populo, cujus fides periclitabatur, si tardius ignis descendisset; nunc vero populus aberat. Forte etiam Deus pluviam distulit, ne propheta aliquid humanitus ab inani gloriola pateretur.

ŷ. 44 : *In septima autem vice, ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari*. Chaldæus vertit : *Ecce nubes parva, sicut vola manus hominis ascendit de Occidente, id est de mari Mediterraneo*. Sensus allegorico auctor serm. 201 de Temp. inter opera S. Aug. dicit : *Elias figuram habuit Domini Salvatoris... Elias oravit, ut pluvia in terram veniret : et Christus, ut in cordibus humanis gratia divina descenderet. Quod autem dixit Elias ad puerum suum : Vade, et considera septies, et septiformem S. Spiritus gratiam, quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia ipse dixit, se vidisse nubeculam parvulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat*.

Cap. XIX, 3: *Timuit ergo Elias, scilicet furem et indignationem reginæ Jezabel, quæ propter occisos ab illo sacerdotes Baal, etiam ipsi mortem minabatur. Permisit autem eum Deus timere unius femine minas, qui nec regem, nec regios satellites, nec furentes sacerdotes ante timuerat; ne nimis elevaretur ex constantia præcedente, sed ut suam agnosceret imbecillitatem; quemadmodum Theodoretus Q. 59 advertit.*

ŷ. 4.: *Et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum petivit animæ suæ (id est sibi), ut moreretur. Optavit sibi mortem immitti a Deo, ne incidens in manus Jezabelis, et ab ea occisus, videretur superatus ab illa, et cum ipso pariter devicta vera religio: Jezabel enim jactasset se occidisse Eliam, et cum eo supplantasse Dei cultum et fidem. Optat ergo a Deo sibi mortem immitti, ne illa a Jezabele inferatur, non tam sibi, quam Dei cultui et religioni. Unde dicit: Sufficit mihi, Domine, hucusque vixisse ac tot tantisque beneficiis ornatum fuisse; sufficit mihi vicisse Achab, ac pseudo-prophetas occidisse. Tolle ergo animam meam, ne eam tollat Jezabel cum meo ac tuo dedecore et infamia. Quia igitur non ex impatientia, sed ex motivo majoris virtutis sibi mortem exoptavit: ideo nullo modo hic peccavit Elias.*

ŷ. 8.: *Ambulavit in fortitudine cibi illius, nempe panis subcinericii, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. Opinatur Abulensis, illi subcinericio panem nullam vim fuisse insitam ad corroborandum per 40 dies Eliam, fugandamque esuriam; sed sumpto illo cibo Deum sua potestate hæc præstitisse.*

Attamen verisimilius est, quod Deus aliquam vim illi cibo indiderit, quæ humidum radicale illis diebus conservaret, qualem vim arbor vitæ in statu innocentie etiam continebat. Nam Scriptura non dicit Eliam ambulasse in fortitudine Dei, sed in fortitudine cibi illius; ergo fortitudo inerat cibo, et cibus robur conferebat, et per cibum Deus.

Porro Deus Eliam consolatus, illi dicit ŷ. 15 et 16: *Unges Hazael, regem super Syriam, et Jehu filium Namsi unges regem super Israel: Elisæum autem filium Saphat... unges prophetam pro te. Cum Elias nullum ex illis tribus unxisse referatur (nam Hazael non fuit unctus ab Elia, sed designatus est rex ab Elisæo quem ad eum misit Elias; Jehu vero in regem Israel unctus fuit ab uno Elisæi discipulo, ut patet ex IV Reg. VIII, 15 et seq.; nec etiam legitur unxisse Elisæum in prophetam; sed tantum misit pallium suum super illum, ut dicitur hic ŷ. 19), putant Abulensis et Salianus, verbum unges debere sumi improprie per catachresim pro designabis regem, vel ei regnum deferes. Sensus autem textus est: Unges, vel designabis illos, ut ultionem justam de Baalitis, quam tu, o Elia! adeo desideras, peragant. Et hinc in Eliæ laudibus dicitur Ecclesiast. XLVIII, 8: Qui ungit reges ad pœnitentiam, id est ad pœnam et ultionem impiorum, ut*

sint instrumenta, quibus Deus utitur ad puniendos impios.

Sanchez tamen ad unges accipit proprie, censetque omnes tres ab Elia fuisse unctos, quamvis Scriptura id non exprimat: ideo enim videtur Elias jussu Dei redivisse per desertum in Damascum, quæ longior et inamœnior via erat, ut Hazael in regem urgeret. Hæc sententia videtur verior, tum quia accipit verbum unges proprie, tum quia ŷ. 15 Dominus mittit Eliam in Damascum, ut Hazael ungit; quo nec mitti, nec ire debuisset, si tantum per alium debuisset illum creare regem.

Nec obstat quod Hazael IV Reg. VIII, de se ipso humillime loquatur, dum ibidem ŷ. 13, vocat se servum Elisæi: quia vel locutus est, ut David post unctionem suam; vel prophetæ non satis credit. Unde nec quidem ab Elisæo fuit creatus rex; sed Elisæus tantum illi dixit loco mox citato: *Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.*

Nec obstat etiam, quod Jehu IV Reg. IX, 6, in regem Israel unctus fuerit ab uno Elisæi discipulo: quia non implicat, quominus bis unctus fuerit.

P. quomodo hic dicatur ŷ. 17: *Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu: et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Elisæus; eum Elisæus nullos occidisse legatur.*

R. Quidam, inquit Estius, hoc ad pueros illos referunt, Elisæi irrisores, imprecatione ejus ab ursis laceratos, IV Reg. II, 24. Alii non improbabiler intelligunt Elisæum punivisse idololatrias gladio verbi sui. Sic Angelomus in hunc locum interpretatur gladium spiritus. Alii vero putant eum vere aliquos idololatrias interfecisse, quamvis hoc Scriptura non narret.

Verum quidquid desuper sit, non videtur textui adversari hic sensus: istos idololatrias quibus tu, o Elia! indignaris, scilicet Achab et uxorem ejus, totamque familiam ejus, et sacerdotes Baal occidet Hazael: quod si aliqui reliqui fuerint, illos occidet Jehu; quod si tunc adhuc aliqui evaserint, illos occidet Elisæus: verbo, nullus ipsorum mortem violentam evadet. Ut autem hoc oraculum verificetur, non requiritur ut Elisæus aliquos interfecerit; sed sufficit quod interfecti fuerint ab Hazael, vel si aliqui mortem evaserint, interfecti fuerint a Jehu, prout revera accidit: nam Achab occisus est a Syris, infra cap. XXII, et filius ejus Joram a militibus Hazaelis vulneratus IV Reg. VIII, 28, parum post ibidem cap. IX, 24, a Jehu occisus est. Deinde eodem cap., ŷ. 35 jussit impiam Jezabelem præcipitari ex fenestra, et postea omnem progeniem Achab deleri, et omnes sacerdotes Baal occidi, ut ibidem patet ex cap. X: ac proinde nulli evaserunt occidendi ab Elisæo.

Cap. XX, Achab rex Israel, ope divina, bis triumphat de Benadab gloriabundo Syrorum rege.

Cap. XXI, 2: *Locutus est Achab ad Naboth dicens: Da mihi vineam tuam... daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. ŷ. 3: Cui respondit Naboth: Pro-*

pitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi, merito recusavit Naboth vendere vineam suam, quia id erat contra legem Levit., XXV, 26 et seq., ubi statuitur, ne possessiones hæreditariæ alienarentur: imo etiam urgente necessitate divenditæ anno jubilei debebant ad pristinum dominum redire. Naboth vero, quamvis esset pauper et tenuis, non tamen premebatur necessitate vendendi vineam; et prævidebat, si ea converteretur in hortum regis, omnem sibi spem præclusam recuperandi eam etiam in jubileo.

Interim Naboth ob denegatam regi vineam, jussu Jezabelis lapidatur, et Achab ejus vineam occupavit, verisimiliter titulo confiscationis; quia Naboth erat judicatus reus læsæ majestatis.

CAPUT XXII.

Regi Achab sciscitanti an sit eundem ad bellum, pseudopropheta prædicunt victoriam, Michæas vero propheta exitum. Achab concomitante Josaphat rege Juda procedit adversus Syros pro obtinenda Ramoth Galaad, ubi sagitta transfixa occumbit.

QUESTIO UNICA. — QUOMODO ACHAB IN RAMOTH GALAAD A SYRIS DEVICTUS ET OCCISUS SIT.

Vers. 2: *In anno autem tertio (post fœdus in initum inter Benadab et Achab, supra, cap. XX, 54) descendit Josaphat, rex Juda, ad regem Israel, puta ut eum inviseret occasione mutue amicitie et affinitatis paulo ante contractæ: nam Joram filius Josaphat in uxorem duxerat Athaliam, quæ erat Achabi et Jezabelis filia, ut colligitur ex lib. II Paralip., cap. XXI et XXII.*

Achab autem volens Ramoth Galaad tollere de manu regis Syriæ, rogat Josaphat, regem Juda, ut secum velit venire ad præliandum in Ramoth Galaad; cui petitioni annuente Josaphat, Achab congregat 400 circiter pseudoprophetas, qui omnes unanimiter ipsi responderunt quod Dominus in manu ejus esset daturus Ramoth Galaad. Sed dictis pseudoprophetarum diffidens Josaphat, curat advocari prophetam Domini.

ŷ. 15: *Venit itaque (Michæas verus propheta Domini) ad regem, et ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis. Non est hic mendacium, sed ironia, quam ex gestu, vel ex modo ipsius loquendi statim percepit Achab. Unde ŷ. 16 gravissime adjurat prophetam, ut seposito joco aperte loquatur in nomine Domini, id est responsum det quodcumque Dominus ei suggesserit. Adjuratus itaque Michæas*

ŷ. 17: *Ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi non habentes pastorem. Insinuat Michæas moriturum regem Achab, pastorem populi Israelitici, in prælio, nihilque gravius passuros Israelitas ab exercitu Syriæ.*

ŷ. 19: *Vidi Dominum sedentem super solium suum: visio ista in imaginatione fuit Michææ representata; Deus enim in imaginatione Michææ pingebat, et quasi exhibebat hanc speciem et formam consilii, ut vide-*

retur sibi videre Deum consultantem de modo decipiendi regem Achab. Unde S. P. Aug. lib. II ad Simplic. Q. 5 de hac visione ita scribit: *Dixit autem hoc Michæas propheta quomodo sibi fuerat demonstratum... cum etiam rerum imaginibus... tanquam verbis instruitur.*

Addit vero Michæas, in hac visione imaginaria et symbolica se vidisse omnem exercitum assistentem ei a dextris et a sinistris: id est angelos, ut ait Menochius. A vero alienum apparet quod dicit A Lapide, scilicet: A dextris erant angeli, a sinistris diaboli, unde exiit ille, qui dixit ŷ. 22: *Egrediar et ero mendax in ore omnium prophetarum ejus. Siquidem ad exercitum cœli nullo modo pertinent diaboli, ut notat Estius. Egressus est ergo spiritus ille de loco suo, non enim erat inter angelos, ait Emm. Sa: Et dixit Dominus: Decipies et prævalebis: egredere et fac ita. Non tam imperio, quam permissione divina opus habebat hic spiritus nequam, ad decipiendos prophetas Baal; quod ergo ei dicitur, egredere, etc., non est jubentis, sed permittentis. Unde Aug. loco præcitato rursus ita scribit: De spiritu mendacii, per quem deceptus est Achab, hoc intelligamus... Deum scilicet omnipotentem, et justum distributorem pœnarum præmiorumque pro meritis, non solum bonis et sanctis ministris uti ad opera congrua, sed etiam malis ad opera digna: cum illi pro sua perversitate nocere appetunt, sinantur autem tantum quantum ille judicat, qui omnia in mensura et numero, et pondere disponit. Porro Achab jam initurus prælium*

ŷ. 30: *Dixit... ad Josaphat: Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis. Mendose hic positum esse tuis pro meis, contendunt nonnulli; et sic etiam habet versio LXX in bibliis regis: Cooperiam me, et ingrediar in bellum, et tu induere vestibus meis. Sed quod debeat legi tuis, patet ex versione hebraica Pagnini et Aræ: item ex chaldæo et ex Vulgata nostra latina II Paralip. XVIII, 29, ubi constanter legitur tuis. Juxta Tirinum etiam in græco habetur tuis.*

Porro Achab rex Israel (ŷ. 30) mutavit habitum suum: depositis regis insignibus, assumpsisse videtur vestem gregarii militis, ne agnosceretur ab hoste. Verebatur enim prophetiam Michææ: attamen hanc formidinem dissimulans, specie honorandi regem Juda, illum solum regio cultu incedere volebat, quasi solum Josaphat totius exercitus ducem vellet agnoscere. Sed invenit eum fatum etiam sine insignibus, ait Josephus lib. VIII Antiq. cap. X.

ŷ. 34: *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel. Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri, qui quasi ludibundus sagittam emisit; at respectu Dei, sagittam dirigentis, non fuit casus, sed destinatus ictus. Inter pulmonem et stomachum, II Paralip. XVIII, 35 dicitur: Inter cervicem et scapulas. Utrumque verum est: nam hæc sagitta intravit inter cervicem et scapulas Achabi, exiit vero inter stomachum et pulmones. Ita Abulensis. Hic ergo narratur sagittæ exi-*